Papenkowicz Alberti: Quaestio meta-
physica de relationis natura.

QVÆSTIO METAPHYSICA

De RELATIONIS NATVRA

A

M. ALBERTO PAPENKOWICZ.

In Acad: Crac: Collega Minore, ac interim Collegii Białensis eiusdem almæ Acad: Coloniæ Directore, publicè ad disputandum proposita.

In Lectorio DD. Theologorum, Die V. Ianuarij, Hora xv. Anno Domini, M. DC. XLV.

Permissu

MAGNIFICI D. RECTORIS.

CRACOVIÆ,

In Officina Martini Philipowski.

In Stemma Inclytæ Domus GEMBICIANÆ.



Certatūrus eo Pereo? Non. Cur? Quia Præſul.
Tu mihi mūrus ades, Tu mihi turris ades.
Inſula turris adeſt Tua, & Inſula & Inſula nobis
Quam ſua cùm cinxit FASCIA, murus adeſt:
Sunt hæc magna quidem, ſed erunt mihi maxima Præſul.
Cùm mihi Tu turris, cùm mihi murus ades,

Illustrissimo ac Reuerendissimo Dño,

D. ANDREÆ GĘMBICKI,

Dei & Apostolicæ Sedis Gratia,

EPISCOPO LVCEORIENSI,

&c, &c.

Domino & Patrono Colendissimo.

NAturam Relationis, etiam ad SS. Triadis mysterium, quantum in hac licet mortalitate apprehendendum, cognitu pernecessariam, in palæstram Philosophicam deducturus, Illustrissime Præsul, quem Protectorem alium cogitare? sub cuius auspicijs animosiùs certare? quod lumen in tanta difficultatum obscuritate splendidiùs exoptare meæ contentiones debuerunt, quam Te fulgentissimum Horizontis Luceoriensis Solem, Schismatum & Hæreticorum contumaciam emollientem, errorum caligines depellentem? Te Sapientissimum Episcopum, prudentissimum in Regno Poloniæ Senatorem, Iuris, ac literarum in Vrbe apud Sacram Sedem Promotorem. Te Musarum Collegij Bialensis sollicitum Conseruatorem, meumq; benignissimum Fautorem? Cùm enim Collegium Bialense, nec dum benè stabilitum, maius robur ab authoritate Ecclesiastica præstolaretur, Tu proprio motu, ac ea quâ & in bonas literas animi propensione effecisti, vt ab hinc iam Titulum & Ius Collegij ab Alma Academia Cracouiensi, ceu Generali in Regno

Schola

Schola deriuatum retineret, atque id authoritate Synodali confirmare voluisti. Et quidem adeò illustre Tui excelsi in literarum propagatione animi argumentum, tam diu in oculos hominum incurret, quàm diu eiusdem Collegij studium, meæ tamen interim obseruantiæ, & venerationis erga Tuam Celsitudinem & gratitudinis beneuolentissimum Antistitem partiū est, in Tua Protectione eam spē quam cliens in Mecænate repositā habere, & ab illa secundam & velitationis successū & velificationis portū optatū ceu ab amicissimi syderis afflatu sibi maximè polliceri. Generosa enim pectora nulla re magis exhilarari solent, quam frequenti & accursu & concursu se recipi in suæ benignitatis ac liberalitatis sinum satagentium. Dum ergò propositam Quæstionem sub Fascia, Gentilitij Tui, insigni, aureo Iasonis vellere pretiosiore, filo Ariadnæ tutiore, dubiæ certaminis aleæ committo, benignitate, quâ alios innumeros exhilarasti, me nutātē erigere confirmare non dedigneris, authoritate munire, fouere, & ornare non desistas. Id quod supplex & cū ea qua possū submissione peto, ac vota nuncupo, vt Deus Optimus Te vigilantissimum Episcopum, grauissimum Regni Senatorem, literarum, literatorumq; Fautorem ac Promotorem saluum florentem in annos quàm plurimos conseruet. Dat: è Collegio Minore Cracouiæ die 2. Ianuarij Anno à Christo nato 1645.

Illustrissimæ ac Reuerendissim.

Celsitud: V.

Cliens.

M. Albertus Papenkowicz

Collega Minor.

QVÆSTIO.

DE RELATIONIS NATVRA.

V. Relationes reales, finitæ, ſub genere ab aliis prædicamentis diſtincto conſtitutæ, & per quantitatem, actionem & paſsionem, ac menſuram, ſua fundamenta adæquate diſtinctæ, habere debeant extrema realiter diſtincta, & á ſuis Fundamentis realiter differant, ac terminum relatiuum requirant, nec ne?

CONCLVSIO I.

Relatio est Ens reale, vnum ex nouem prædicamentis accidentium genus constituens.

COROLLARIA.

I. *Relatio realis finita, est pars Entis realis per decem Categorias, seu summa genera diuisi.*

II. *Relatio debet dici perfectio rei, proueniens ab Ordine vniuersi.*

III. *De Ratione Relationis formalis est, respicere Terminum, siue habere esse ad aliud, per quam ab alijs accidentium generibus distinguitur.*

IV. *Falsò asserunt quidam Relationem secundùm Esse Ad, non esse realem.*

V. *Ratio Relationis realis formalis, præcisè accepta, abstrahit à Relationibus, creata, Increata, & rationis.*

CONCLVSIO II.

Relatio realis finita, adæquatè diuiditur per Rela-

Relationes ſuper quantitatem, actionem, & paſsionem, ac menſuram fundatas.

COROLLARIA.

I. Diuiſio prædicta Relationis, eſt generis vniuoci, in ſuas ſpecies.

II. Species Relationis realis finitæ, neceſſè eſt fundari ſupra alia accidentia.

III. Ralationes per accidens, dictam diuiſionem non ingrediuntur.

IV. Actio & paſsio vt fundant Relationes, tàm actiones tranſeuntes, quàm immanentes, comprehendunt.

V. Sublatis imperfectionibus ab actione, & paſsione, relationes in illis fundatæ, etiam in Diuinis inueniuntur.

CONCLVSIO III.

Relatio realis neceſſariò requirit Fundamen-

mentum reale & Terminum ab eodem realiter distinctum.

COROLLARIA.

I. Ob defectum distinctionis realis, inter extrema realiter distincta, excluditur à genere Relationum realium.

II. Relationi, quoad Esse In, est commune cum alijs prædicamentis, & per hoc, sicut & illa, à Relationibus realibus differre.

III. Fundamentum Relationis, rectè vocatur alias ratio fundandi, alias subiectum.

IV. Relatio in actu signato concepta, requirit Terminum, in actu signato reali, sicut Relatio concepta, in actu exercito etiam Terminum actualem sibi vendicat.

V. Relationes potiùs dicendæ sunt Entia ad aliquid, quàm aliquid.

CON-

CONCLVSIO IV.

Relatio categorica diſtinguitur realiter à Fundamento.

COROLLARIA.

I. Relationis definitionem eſſe aliam à definitione Fundamenti, eſt neceſſe.

II. Neceſſe eſt, alias proprietates eſſe Relationis, alias illius Fundamenti.

III. Relationis actualis exiſtentia, dependet ab exiſtentia Fundamenti, ac Termini.

IV. Relatio ſecundùm id, in quo, cum alijs accidentibus conuenit, facit compoſitionem cum ſubiecto.

V. Relationes vnitatem numericam recipiunt, ex ſuis ſubiectis.

CONCLVSIO V.

Relationes mutuæ, Terminum relatiuum depoſcunt.

CO-

COROLLARIA.

I. Terminus illarum, verè & propriè vocatur Correlatiuus.

II. In Relationibus non mutuis, alia ratio esse debet.

III. In definitione Relationis mutuæ, expressè cadit suus terminus.

IV. Meritò Relationes mutuæ, simul & esse, & cognosci dicuntur.

V. Multitudo numerica terminorum, non tollit vnitatem numericam Relationum.



Sub felicibus auſpicijs

Magnifici ac Admodum Rn̄di Dn̄i,

D. IACOBI VITELLII,

S. Th: Doctoris, ac Profeſſoris, Canonici S. Floriani, Almæ Academiæ Cracouienſis vigilantiſsimi

RECTORIS.